

34  
!  
Novissimus Honor

211  
ADMODUM REVERENDO, CLA-  
RISSIMO atq; DOCTISSIMO

V I R O  
DN. SIMONI


W E L S S /

Ecclesiastæ apud Thorunenses ad D.  
Virginis Vigilantissimo, Meritissimo,  
Seni Venerando,

Anno Domini 1688. ætat. 65. Ministerii ibi-  
dem 31. d. 20. Febr. piè denato, & 25.  
hujus honorificè humato  
exhibitus

A Gymnasii Thorun.

Rectore Professoribus,  
& Collegis.



THORUNII *imprimebat* Christianus Bekk, G. T.



**F**rugalis & bone Serve, Serve candidè,  
Fidelis in paucis eras;  
Jam te super majora constituam, subi  
In gaudium DOMINI tui.  
Venerande WEISS, Collega conjunctissime,  
Senex honoratissime,  
Salvator hæc tuus Tibi nunc omnia  
Ex asse nunciat bona.  
O Te beatum! Possides ea gaudia,  
Sperare nos quæ cogimur.  
Jam ferta gestas & coronam gloriæ,  
Multi laboris præmia.

f. c.

Paulus Hofmannus

D. Rector.

Inspira-

**I**nspertatus adest luctus, succurrite Musæ,  
 Mors spoliat Mystis pulpita nostra sua.  
 Insignem rapuit meritis, Virtutibus, arte,  
 Eloquio, donis & pietate Virum.  
 Qvi Templo *Domini* ter denos amplius annos  
 Præfuit, ostendens Jura sacrata poli.  
 Qvi populum, Christi pretioso sanguine tinctum,  
 Duxit ad ætherias voce sonante plagas.  
 Qvi fidi solers explevit munia servi,  
 Intentus *Domino* nocte dieq; suo.  
 Qvi precibus, curâ vigili, multoq; labore,  
 Plantabat patrio coelica regna solo.  
 Qvi pius, humanus, qvi cunctis svavis, amicus,  
 Qvi fuerat mirâ dexteritate gravis.  
**SIMON WEISS**, nostræ magnum decus urbis & orbis,  
 En jacet! Heu, lachrymas fundite quisq; pias.  
 Non tamen extinctus jacet *IS*: Mens aurea coeli  
 Astra colit, summis perfruiturq; bonis.  
 Deposuit tantum, fractus senio atq; labore,  
 Scenam, discupiens vivere in arce poli.  
 Fessus ut hospitium desiderat ipse viator,  
 Ut portum in fluctu nauta videre cupit:  
 Sic coeli novus hic Hospes cupiebat habere  
 Gaudia, in ætheriis non peritura plagis.  
 Non illi nocuit, sed nobis, livida Parca,  
 Ausa nimis tanto nos spoliare Viro.  
 O **DEUS**, ex alto præbe solatia moestis,  
 Et nobis Mystam da pietate parem.  
 Tu verò, Venerande Senex, requiesce beatus,  
 Proq; labore tuo præmia digna cape.  
 Mortales fati memores sortisq; futuræ,  
 Peccatis longum dicite quisq; vale.

*Condol. appositus*

Wenceslaus Johannides, *Gymn. Thor. P. P.*  
 Solutus

Solutus es laboribus tot arduis,  
Tot imminentibus Tibi molestiis,  
*Verende Mystra*, Serve Numinis pii,  
In vinea DEI tui fidelibus  
Districte curis. Ecquid exoptatus  
Putemus evenisse; quam dulci frui  
Quiete, nullis terminanda seculis?  
*Senex beate!* quem DEUS dari jubet  
Ex improbis receptui mapalibus,  
Ne triste tempus, ne vicissitudines  
Persentias rerum, cupitæ sed diu  
Spei potens cernas salutis in vado  
Natum DEI, per æqvora excresecientia  
Hic quem ferebas, & satur terrestrium,  
Quæ continenter huc & illuc distrahunt  
Superstitēs, & anxio premunt metu:  
Grator caduco, tot laboribus Tuo  
Fractōq; tandem corpori, per temporum  
Longinqva fata, perq; casus asperos,  
Dulcem quietem; terra sit cineri levis.  
Regnet solutus Spiritus DEI in Throno,  
Satiandus omni, non tamen satur, bono  
Svavi, perenni, quodq; nec fando assequi  
Humana mens valet; canatq; jübila  
Sibi blandienti Christo, & agenti; occupa

Fidelis

Fidelis euge Serve, jam DOMINI Tui  
Immensa, nunquam finienda gaudia.

*Ita acclamabat venerandis manibus  
bene meriti VIRI*

M. Johannes Sartorius P. P.

**H**uc oculos, huc verte animum, qui funera cernis,  
funera non siccis contumulanda genis.  
Qui cecidit, vah! qui cecidit fuit ancora sancta  
ædis divinæ, certa salusq; domus.  
Non est de vano, sanctæ dum viva Sionis  
membra rapit, mortis vis violenta trucis.  
Non est de nihilo, niveos cum Morta capillos  
dissolvit, luteos tum fore rere Lares.  
Subruta si fuerit rectiq; domusq; columna,  
crede mihi subito machina tota ruet.  
Fluctibus immensis jactata per æqvora navis  
in dubio tandem littore fracta jacet.  
Hæc tamen à nostris pellat DEUS omina muris.  
ac urbem claram prosperitate juvet.  
Hic viduam tristem, natos orbosq; Parente  
soletur, multa lætitiâq; beet.  
Templo sincerum divi verbiq; peritum  
concedat tetra sed sine bile Virum.

*L. P.*  
M. Martinus Böhlm.

Sic

**S**ic abit è vita verbiq; aræq; Minister  
WEISSIUS, exemplar qvi pietatis erat.  
Qvi ultra sex denos vitam produxit in annos,  
Isacidumq; gregicommoda multa tulit.  
Scilicet exemplo vitæ verboq; salubri  
Qvi docuit, nunc heu contumelatur humo.  
Hunc meritò Mystam pia mens sibi plorat adem-  
ptum,  
Funus & illius prosequitur lacrymis.  
Ast ille ipse lubens ingratum deserit orbem,  
Et lætabundus transit ad astra poli:  
In quo larga tuis Numen cœlestis Ministris  
Præmia deposuit, proqve labore dabit.

*Cendol. fec.*

Georgius Lehmannus,  
*Gymn. Coll.*

---

**I**nvida mors terris canum rapuit Simeonem,  
Composuitq; suo frigida membra sinu:  
Non tamen ereptus nobis, sua qvippe per Urbem  
Undiq; fama manet, nec moriturus honos.  
Gymnadis hic quondam Doctor fuit atq; Professor,  
Nec non de rostris verba sacrata tulit.  
Spermologos contra vanos quoq; reppulit ictus,  
Et solidam ex Christi protulit ore fidem.  
Multa supervacuè pleno de pectore fudit  
In plures miseros. Hoc pietatis opus.

*Quem*

Quem tot nunc ornant merita & monumenta per-  
ampla,  
Hunc beat ætherium pro pietate jubar.

*Mæstus apposuit*

*Johannes Burschöt /  
Gymn. Collega.*

---

Parodia Odæ Horatianæ 31. Lib. 1.

*P*ectus meum quid poscit Olympicum  
Patrem? quid orat luminibus piis,  
Fundens liquorum lacrymarum?  
Non hominum pretiosa dona,

Non dignitatem corporis optimam,  
Non rura, non aurum aut ebur Indicum,  
Non Ventris incrementa magna,  
Delicias neq; lautiores.

Orat sed ardens omnigenâ prece  
Numen benignum, reddat eum suo  
Mortis furor quem devoravit  
Officio. Redivivus ôsis

Divine Præsul! Spes Patriæ ardua,  
Magnumq; semper præsidium, & Decus  
Nobis eras, nunc longa nox Te  
Perpetuus sopor urget atq;?

*Non*

103035  
Non, ossa lassata & tenuis cinis,  
Tantum quiescunt in tumulo, Tua  
Mens est in astris læta claris  
Fama diu ast volitat per orbem.

Condolentiæ causa hæc  
paucula apposuit

Christophorus Woyt  
Præc. Class.

---

Sicne malo ex mundo properas, Doctissime WEISS,  
Et pede perceleri tendis ad astra Poli?  
Dogmata nec magis es nobis divina daturus,  
Nec nostra fundes proq; salute preces?  
Hinc quos hic linquis flentes, ob tristia fata  
Cernuntur madidas dilaniare genas.  
Sed quia sic voluit summus Moderator Olympi,  
In tumulo, Christi serve, quiesce tuo.  
Donec vivificâ surges voce invocatus,  
Detur & à Christo pulchra corona Tibi.

Daniel Kaulpersch. Gymn. Col.

